

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 35386/03 CG

N

Nullitatis matrimonii

Querelae nullitatis adversus decreta Rev.mi Ponentis N diei 20 decembris 2000 et Turni Rotalis coram eodem diei 18 ianuarii 2001; refectionis damnorum

DECRETUM

1. In causa, de qua supra, lata a T.E.R. X die 28 iulii 1999 sententia affirmativa, ob errorem in qualitate personae directe et principaliter intenta a viro actore, Rotae Romanae Tribunal eam decreto die 27 iunii 2000 ratam habuit.

Petito a parte conventa novo causae examine, Rev.mus Ponens die 20 decembris 2000 exsecutionem duplicis decisionis affirmativae “pro nunc” suspendit.

Cl.mus A, Patronus viri actoris, tunc instantia diei 29 decembris 2000 petiit ut “Exc.mus Ponens 1) decretum tale revocare dignetur; 2) ut ius defensionis partis actricis integrum maneat..., instituta... quaestione praeliminari incidentaliter super decernenda a Turno suspensione sententiae”.

Idem Patronus instantia diei 3 ianuarii 2001 instituit ut Rev.mus [Ponens] “Ponentiae abrenuntiare dignetur”.

Turnus vero rotalis coram eodem Rev.mo Ponente die 18 ianuarii 2001 decrevit “confirmandum esse Decretum Ponentis diei 20 decembris 2000, ideoque illud ratum” habuit.

Cl.mus A dein die 27 martii 2001 ad H.S.T. provocavit, inter alia, “ut H.S.T. velit admittere et declarare nullitatem Decreti Turni diei 18 jan. 2001 ob rationes... allatas”.

Ad rem, autem, H.S.T. re sedulo examinata in Congressu diei 18 februarii 2003 decrevit: “Querelam nullitatis adversus decretum Rotale diei 18 m. ianuarii a. 2001 coram Hoc Supremo Tribunali proponi non posse”.

2. Non deferbuit idem Cl.mus Patronus, qui die 6 novembris 2003 H.S.T. iterum adiit ut “1º) declaretur nullum seu invalidum Decretum Ponentis d. 20 dec. 2000...; 2º) Declaretur nullum Decretum Turni diei 18 ian. 2001...;

3º) Instituatur procedura pro adscribenda causae Ponenti reparatione damni actori illati...”.

Obtento memoriali pro parte adversa a Cl.mo B die 20 martii 2004 redacto, Rev.mus Defensor Vinculi Substitutus die 6 octobris 2004 suas animadversiones exhibuit et Rev.mus Promotor Iustitiae 26 novembris eiusdem anni votum pro rei veritate.

Exc.mus H.S.T. Secretarius tunc decreto diei 27 novembris 2004 praefatas scripturas notificandas statuit, ut Cl.mi Patroni et Rev.mus Defensor Vinculi responderent, si vellent, intra terminum decem dierum.

3. Respondit vero die 1º decembris 2004 Cl.mus A virum actorem die 23 novembris 2004 ad H.S.T. litteras dedisse, quibus instantiis suis coram hac Signatura Apostolica renuntiabat, instans ut renuntiatio admitteretur. Addidit idem Cl.mus Patronus se parere non posse praefato Exc.mi Secretarii decreto diei 27 novembris 2004, cum ipse in casu ageret sine mandato.

Litteris renuntiationis die 2 decembris 2004 receptis, Exc.mus Secretarius instantias partis actricis diei 23 novembris 2004 eiusque Cl.mi Patroni diei 1º decembris 2004 notificare curavit Cl.mo Patrono partis adversae, Rev.mo Defensori Vinculi in casu et Rev.mo Promotori Iustitiae, ut intra terminum decem dierum mentem suam pandere possent (cf. can. 1524, §2).

Exhibitis eorum responsionibus,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

4. Praemisso quod Cl.mus Patronus partis conventae die 6 decembris 2004 declaravit se non acceptare petitam renuntiationem, quodque item Rev.mus Promotor Iustitiae eadem die mentem pandit se haudquaquam acceptare renuntiationem relate ad ipsam querelam nullitatis adversus decreta Rev.mi Ponentis N diei 20 decembris 2000 et Turni Rotalis coram eodem diei 18 ianuarii 2001,

et viso can. 1524, §2;

5. Attento, **relate ad querelam nullitatis contra decretum Turni Rotalis diei 18 ianuarii 2001**, quod Cl.mus A iam antea eandem quaestionem apud H.S.T. proposuerat, nam ipse instantia diei 27 martii 2001 petierat “ut H.S.T. velit admittere et declarare nullitatem Decreti

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Turni diei 18 ian. 2001”, et perspecto quod H.S.T. die 18 februarii 2003 ad rem iam decrevit illam querelam nullitatis coram H.S.T. proponi non posse;

6. Perpenso, relate ad querelam nullitatis contra decretum Rev.mi Ponentis diei 20 decembris 2000, quod etiam relate ad illud decretum Ponentis diei 20 decembris 2000 sine ullo dubio valet ratio, ob quam H.S.T. die 18 februarii 2003 decrevit querelam nullitatis contra decretum Turni diei 18 ianuarii 2001 coram hac Signatura Apostolica “proponi non posse”, scilicet: “Viso art. 19, §3 Normarum H.S.T. Specialium...; Considerato quod decretum, quo sententiae, nullitatis matrimonii edicentis, executio suspenditur, certe aequari nequit decreto vim sententiae definitivae habenti, nec decreto ex quo damnum [per sententiam definitivam] irreparabile oritur”;

7. Animadverso quod, viso quoque can. 1644, §2, haud apparet ulla ratio ob quam “procedura pro adscribenda causae Ponenti reparatione damni” instituenda sit in casu, quodque, contra, mora processualis Cl.mi A instantiis coram H.S.T. de facto tribuenda est;

8. Attento quod vir actor nullo modo mandatum Cl.mo suo Patrono datum revocavit in casu, quodque renuntiatio nihil operatur antequam ipsa ad normam iuris admittitur, quam ob rem idem Cl.mus Patronus perperam contendit se in hoc stadio iudicii carere mandato et ideo parere non potuisse decreto Exc.mi Secretarii diei 27 novembris 2004;

Cumque ipse intra terminum decem dierum eodem decreto statutum facultate respondendi usus non sit;

9. Perpenso quod Cl.mus conventae Patronus petiit ut “instantiae a parte adversa propositae e limine reiciantur cum condemnatione ad damna et expensas”;

10. Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 16 decembris 2004 coram infrascripto Praefecto habito,

decrevit:

Quoad renuntiationem a parte actrice oblatam: Non admitti;

Quoad querelam nullitatis adversus decretum Ponentis diei 20 decembris 2000: Proponi non posse;

Quoad querelam nullitatis adversus decretum Turni diei 18 ianuarii 2001: In decisis. Et amplius non proponi;

Quoad instituendam proceduram pro adscribenda causae Rev.mo Ponenti N reparatione damni actori illati: Non admitti.

Pro expensis et honorario Cl.mi partis conventae Patroni retineatur cautio a viro actore in arca H.S.T. deposita. Idem actor suo Cl.mo Patrono congruum honorarium solvat.

Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 16 decembris 2004

+ Augustinus VALLINI, *Praefectus*

+ Velasius DE PAOLIS, C.S., *Secretarius*